





1
6
488









MICHAELIS ANGELI BLONDI.

DIALOGVS DE INVIDIA.



XIV

CRISTOPHORO DE SPIRITIbus. R. Episcopo Cesenat. Diui Pauli. PP. III. Referend. digniss. Michael Angelus Blondus. bene agere.

QTANTVM Humanus aut affabilis atq; officiosus quantum deniq; es decus hominum & si frequenter alias senserim tamen proximis diebus ipse etiam expertus sum: ideo non est mirandum si amor in te meus, cogit ut non facerem, quemadmodum plurimi, qui desides tempus hoc prætereunt. Sed ut te isdem afficerem. quibus ipse plurimum afficior. Quæstio enim frugi inuenta est, quæ & liberis instituendis & ciuibus institutis maxime prodest, præcipuue qui uirtute & proprijs dotibus ac religione qua urbs pollet in qua sumus plerosq; homines antecellunt. ut igitur in studijs sic in amicitia pulchrum existimo pro futura miscere, ne illa tristitiam hæc uero odium pariat, confiteor etiam inscribendo præposuisse necessitates uoluptatibus, & seria iocis, quæ omnibus eruditis ad te conuenientibus, oro proponas. præsertim hoc Decenbri mense quo maxime Romæ lites non quiescunt. quibus quantum cruciantur mentes mortalium compertum habes. nec dubito, quin cupias pro tua erga me beneuolentia iam hoc fecisse. Consueuisti enim quam maturissime legere & imperfectos libros. Quare musteum etiam hunc Dialogum non omittes. Sic enim accendes animum ad maiora.

Pridie Idus Decembris.

XV

MICHAELIS ANGELI BLONDI,

DIALOGVS DE INVIDIA.

CRITO. ET ACRISIVS.

QVAM MVLTVM ACRISI interest quod à quoq; fiat. illud enim si clarum fuerit à quibusdam altißime tollitur. sin autem obscurum, ab omnibus humillime deprimitur. ACRISIVS uerum est, tamen ad quid hæc. CRITO pertranseunti mihi uiam peregrinam occurrit hyparcus communis amicus. heus inquit Crito, num offendit tuas etiam aures quod meas procrebuit. inquam minime. Quid autem sit hoc, cupio mihi narres. Tum ille, nudiustertius pleriq; urbis eruditißimi conuenerant ad bibliopolam, ad quem è consuetudine ueniunt. qui post uarios sermones inciderunt in quæstiunculam, quidnam eßet Inuidia, & quantum homini prodest, & qui Inuidi bonine, an mali dicerentur: ACRISIVS. pulcherrima proculdubio quæstio hæc est. quia nulli hac tempestate est stomacho, quinimo, similis uidetur frondosis arboribus quæ longißimo trunco efflate in altum proceribus ramis diffunduntur: haud aliter arbitror ipse etiam, & Inuidiam plurimorum uehementi spiritu olim euectam, nec hactenus ut arborem antiquißimam succo alenti destitutam. quia quo ponderosior uetustiorue sit inuêdia, eo magis in latitudinem uanescit, nec unquam ut quis senecta infectus hebescit, uerum indies fortior candidiorq; est. propterea qui sordidam aut maculosam pu-

tant eſſe Inuidiam ueſani ſunt. nam turpia & obſcena ab eruditiſsimis non tam celantur quam etiam pelluntur. oh quam mirifice rei interfuit hyparcus. Tu autem quæ retulit de inuidia mihi referas obſecro CRITO: ædepol modo facturus ſum. ideo in craſtinum differamus, ACRIVS: in referendis ac audiendis optimis quibúſque non eſt procraſtinandum. ſed poſtquam & mihi occaſio audiendi, & tibi recitandi modo clarum ingenium fauet. effer oro, quoniam tum materia emergit facilius cum bonus fautor adeſt, & uerus commendator contingit. CRITO: poſtq; adeo deſi deras. efferam, quia arbitror compræhendes hoc ſæculum nō ſterile, non effectum eſſe: habent etiam, & nobiles in ædibus pulchrum hoc, quamuis ſtematibus priſcorum, & imaginibus ſuorum gloriantur. Itaque, dicunt præſtantiſsimi inuidiam dolorem alienæ fœlicitatis, & fœlicitatem proſperum curſum ſecundæ fortunæ dum uiuitur. & dolorem ferunt mœrorem cordis productum ex rebus quas inuiti proſpiciunt homines, uel referunt dolorem moleſtum eſſe proſpectum in rebus ſecundis alicuius pluſquam in proprijs neceſsitatibus ACRISIVS. Proſper igitur curſus fortunæ in rebus ſecundis alterius. Inuidia eſt. CRITO: haud aliter, ACRISIVS: etiam contriſtatio & dolor inuidia. CRITO, etiam ACRISIVS. Ergo ſecundus curſus proſperitatis alterius inuidia erit. CRITO. & ſecundus uitæ curſus. ACRISIVS: itaq; inuidia langor mentis & animi cruciatus eſt, & olim ſoli Græci inſignes inuidia erant, nunc autem & Itali. quot etiam ignauiſsimi hac tēpeſtate Themiſtocli ob res bene geſtas præferri uolunt, CRITO, Vbiq; alterius gloriæ mali tan-

tum inuident, nesciunt autem utrum illis malum an cui inuident bonum contingit ACRISIVS prorsus inuidia mala res est. ut audio, sed in qua parte hominis concipitur? CRITO. in qua fundamentum uitæ ACRISIVS. & quibus succis alitur. Crito: biliosis. Acrisius, miror q̃ præter alios humores sola bilis nutriat inuidiã. Crito: Quia ex succis acrior. uerum, pleruncq; biliosi hebetioris sunt ingenij ni atræ proxima fuerit bilis eorum. Acrisius: miror etiam quomodo inuidiã animo cõcipiunt homines, cũ ex rebus sit nulla existimatione dignis. Crito: falleris, quia non paruifaciunt homines ea unde prouenit lucrũ: nanq; omnes natura lucro seruiũt. præcipue in quibus uberrima bilis est. itaq; omnes lucri cupidos inuidos dicimus, quia soli ditari cupiunt. Acrisius: ergo lucricupidus inuidiæ amans, sed qui ob inuidiam propriam retegit caliditatem, his mihi insanus uidetur. Crito: is & in pudicus dicitur. Acrisius: num inuidus est qui alicuius opus laudat? Sed in postremo laudi. inquit, tamen, Crito: maxime. Acrisius: cur igitur uerba temere effundit. Crito: quia statuit natura ut proderet dolum & tacitam iniuriam. uelut offensus, quo bonus aliquando caueret falsis ab insinuationibus: Acrisius, num inuidus cõpræhendit, an inuidus habetur ab hominibus. Crito: compræhẽdit: cum aũt inuidus uulpecula quædã, & peritus in arte dicẽdi cõpertus sit magister, cur in medio sapientũ uerborũ retegit, qua pollet inuidiam. Acrisius. non uis dotem propriam aperiat, qua fiat amabilis. Crito. sapiẽter. Acrisius. nullum profecto puto maius lucrũ alicuius sit quã quod natura proprium est illi. CRITO: procul dubio cõpertũ est q̃ bubulcus non pascit armentũ pabulo nisi quod alit nutritq; illud. Quoniã si perderet. diffugeret. ACRISIVS, rectissime

nec inuidus, censeo, prorumperet in sermonem inuidum ni existimaret multũ superlucrari. periculis etenim quamplurimis corpus exponit. qui lucri cupidus est. CRITO. itaq; inuidus similis est mercatori qui dum uenundat uilissimas merces, testatur herculem uel pollucem esse præciosissimas. Nemesim uerò citare non audet, quia facinoris ultrix est. dicti autem nil curant, & is modus in extorquendo numismate uulgo seruatur. ACRISIVS, cui dubium, nam qui diuitibus cupit æquari oportet inuideat omnibus. Præterea, inuidus auidus est alterius inexplebilis fœlicitatis, sititq; magis quo uis hydrope itaq; dum aliena cupit ac sine labore diues uellet fieri, turpe lucrum appetit, propterea parui aut nullius pretij dicemus hominem inuidum. Præterea, arbitror nos ipsos etiam isdem rationibus repræhendimus. CRITO. cum inuidi non sumus nequaquam, ACRISIVS. quod si lucri cupidi inuidi sumus. Inuidia enim lucro coniunctissima. dum nanq; alicui inuidemus, lucrum optamus, quia arbitramur ob inuidiam pares diuitibus esse, quinimo desideramus quemq; efficere inferiorem laudabili quouis in opere detrahendo, CRITO. quam optime rem habes, nam inuidus non cupit esse par probo. istud enim æmulari esset, illud uero famæ atque honori uelle detrahere, ACRISIVS. igitur Inuidia æmulationi contraria, CRITO. est nanque æmulari, & famæ & honori alicuius æquari optare media uirtute ACRISIVS. inuidere ergo est alicui damnum desiderare CRITO. Quoniam inuidia res est contraria laudabili lucro ACRISIVS. læduntur ne homines etiam grauius Inuidia quam naufragio æquoris CRITO grauius

arbitror


arbitror, ACRISIVS. inuidum ergo lucrum non est appetendum, quia damnabile CRITO. at æmulatio desideranda, quia excitatio in bonum et lucrum honorificum: ACRISIVS. propterea insanos omnes inuidos dicemus. Tu uero si sanus, dic mihi an bonum amas uel odio habes illud CRITO? amo, atque etiam diligo ACRISIVS. quia par bonis effici studes, non autem inuidis quia mali. dic tamen obsecro an bonum est, quod natura appetimus CRITO. bonum dum non lædimus quempiam ACRISIVS. & si hoc idem fit officio naturæ CRITO. malum ACRISIVS. malam ergo naturam etiam fatebimur. CRITO, hominis tantum. quia optima superior natura, itaq; dicendum est: liuore, & inuidia nil esse deterius in terris utq; & inani gloria difficilius quæ infinita bona consueuit corrumpere, ACRISIVS. igitur inuidorum hominum dementiam non sapiens, sed nec Mercurius quidem cum musis sanaret omnibus, uis etiam inuidos dementes esse, tamen qui rebus inuident alienis suorum ob defectum commodorum non uidentur dementes, non enim dementis est propriys utilitatibus studere, uerum sapientis. CRITO. Haud erras per pollucem. charitas enim sui ipsius cuiq; gratissima, res est, ACRISIVS, Charitatem igitur uis studium esse propriarũ utilitatum CRITO propriarum ACRISIVS: Charitas ergo nostra inuidiam parit CRITO. haud hoc confiteor ACRISIVS. quid autem. CRITO. fateor quod charitas maximus amor est, propriorum affectuum charitas etiam omnia bona amat, & cuncta mala odit, ACRISIVS. Tamen non tam miserrimus neq; etiam ditissimus hactenus repertus est, qui aliter propriys

ſatisfecit affectibus niſi per detractionem, charitas ergo noſtra parit detractionem, detractio inuidiam, demum qui proprijs ſtudet affectibus is maxime inuidus eſt. CRITO. Verum, inuidi ne mali uideantur, propriam præponunt charitatem hac enim ratione prætergunt nomen inuidi. ACRISIVS. Si quis autem diceret inuidum illum hominem qui laudem alterius propriũ honorem eſſe cupit, num proprio uteretur officio charitatis. an inuidi proprietate. CRITO. Vtiq; inuidi proprietate, ACRISIVS. En igitur ut deſiderium cuiuſq; inditium eſt inuidiæ. ideo qui aliquid cupiunt inuidi ſunt cupido enim in quo fuerit quamuis ſit nomen honeſtius inuidia, is inuidus erit, deſiderium ergo ſiue cupido malum nomen eſt, ut & inuidia: CRITO. Cum autem omnes homines cupidos ſcimus omnes pariter dicemus malos atque inuidos etiam ACRISIVS. qui igitur uiri boni cum nemo ex omnibus hominibus modo prope bonus. niſi qui lucro dat operam. CRITO. procul dubio bonus eſt qui honeſte lucratur, & qui rebus illis dat operam quibus nemo ledi poteſt. ACRISIVS: hoc erit idem damnum pati. erit etiam hoc, ſtudium proprie deſolationis, quod eſt contrarium optime Valetudini, itaq; infectio propria erit officium bonorum, pauci tandem boni, quis enim propria uoluntate ſemet ipſum inficit, quod ſi facit officium eius non erit prudentis, uerum penitus erit inſipientis, CRITO. conaris me decipere ex induſtria aſſerens quæ nemo poſſe pati uidetur, tamen te ipſum decipis, quoniam uiro bono nec ſumma paupertas, nec extrema neceſſitas grauis eſt. At ea penitus calamitoſa ſunt quæ per inuidiam quis alicui detrahit, nemo igitur prudens ſtudet inuidie, dum calamita-

tem fugit, sed fruitur illis quæ natura sponte concessit. ACRISIVS. Quemadmodum ergo res fallax inuidia, ita etiam difficile est intelligere quis sit uir bonus. itaque inuidiam fateor pestem exitium luemq; omnis populi esse. ut ergo mors est optanda, mori absque mortis metu. ita desideranda uita est uiuere absque dolo inuidie, propterea cognoscunt uiri, ueri honoris cupidi quemadmodum inuidia eorum animum recte constitutum suscipiens, paulatim destruit & soluere aggreditur corpus priusq̃ uenerit ad finem, en igitur quam fallax oculorum, quam fallax aurium cæterorumq; sensuum sit iudicium, ratio etiam suadet quatenus hærere rebus inuidis summa nõ cogit necessitas, uerum in se ipsum reuocare animam atq; proprias uires colligere pulchrum est. et in rebus inuidis nulli magis credere quam sibi, quia non oportet alicui uirtutem inuidere. honestus igitur qui fuerit in appetendis rebus is bonus erit, Platonicum etiam referam illud. inuidia, eo, securius aliena substant, quo quis sua simili periculo non exponit. CRITO. uetus etiam est omnium communis sententia. Si quis ea quæ magna sunt, ut est inuidia recte seruare uelit in paruis quibusdam prius illa facilioribusq; quàm in maximis considerare debet, uerum quoniam grande est in omnibus omnes animo superare, grande est & inuidiam amare, ideo non est mirandum si qui sapiunt inuidiam colent quia inuidia hodie magnanimtatis signũ. hinc est quod inuidus dicitur magnanimus. ACRISIVS. equidem inuidi Cœlum tenent, quia & timorem mortis & corporis dolorem, & uoluptatum intermissionem inuidia nutriunt. CRITO. Exitus proculdubio omnia quæ in principio celebramus probat. & quæ sunt dubia in ori-

gine clarißima fiunt in fine, dubia ergo cum sit inuidia ab initio bona uel mala res sit hoc modo cognoscitur in fine: si nulli turpidini seruit bona. si uero omni uitio. mala res est, quare dum exitum inuidie cogitabis ab initio non eris inuidus. ACRISIVS. iam concipio quod inuidia aliena nobis semper uendicat, & quæ cuiusuis sint ad nos contrahit, & aliorum authoritatem propria authoritate sternit, ut seruet proprium decorem & secundum ipsam inter uirtutes prima appareat uirtus. CRITO. Ideo inuidus cogitat qualis uita futura non quanta sit, non enim uiuere bonum eße dicit, sed inuide uiuere. quare nil mirabilius uidetur in rebus humanis quam in uidere amicis, tanto etiam quisq; perfectior est in hac uirtute quanto, perfectius inuidet dotibus alienis, ACRISIVS. nequeo iam Crito mi mei doloris summam nō retegere ob immensam inuidiam atque innumerabiles inuidos, præcipue si quælibet uirtus præ inuidia nullius pretij est. tanti enim retulisti inuidiam eße, ut illa tantum regina cæteræ uero uirtutes ancillæ sint. Sed quæ causa tanti mali, effer oro, CRITO. miserrima Cupido. ACRISIVS. ideo & inuidum miserū dicamus. CRITO. procul dubio. ACRISIVS. Dic tamen an inuidus liber, uel seruus sit. CRITO, etiam inter liberos seruus est. ACRISIVS: propter quid inuidus semper dolet ac quæritur. CRITO. quia alter fruitur rebus, quibus ille caret. ACRISIVS. an Ciuitas serua aut libera ubi inuidorum copia. CRITO. ancilla & serua quia nomen sortitur Ciuitas à Ciuibus, quales enim illi talis & illa. ACRISIVS. Peto an inuidus compos in inuidia unquam. CRITO. nunquam, quia talis natu-

ra eſt:ut ſemper inuideat. ACRISIVS. Igitur peßi-
mum eſt uiuere cum inuidis nihilque infelicius eſt quam
inuidi nomen poßidere. CRITO. ideo ſtu-
dendum eſt præcepto Diui Hieronymi, cum
inquit, hæc eſt in omnibus ſola perfe-
ctio ſuæ infectionis cognitio.
Tunc ergo fœlicem ho-
minẽ iudicabo cum
absq; inui-
dia pu
blice uiuere po-
terit.



ROMAE, E, TVGVRIO BLON-
DI. IN QVO MAIORA
IACENT.

❋PONTIFICATVS❋
DIVI PAVLI.
III. ANNO
QVINTO.

❋PER VALERIVM D'ORICVM,❋
BRIXIENSEM.

XX

